

emigmate qle in hac tuta mden.

par. sz no potat pfaci in m ur



XXV.
SOLO FAVENTE DEO

TESTAMENTARIÆ
QVÆSTIONES,

*Ad Rubricam, Leges, & ibi notata Dd. C. qui
testamenta facere poss. vel non.*

QUAS

Permissu & consensu amplissimi Jureconsultorum Col-
legii in Academiâ Lipsiensi,

SIGISMUNDUS FINCKELTHAUS,
I. U. D. & P. P. publicæ disquisitioni
subjicit,

ET

Respondendo defendet
M. CORBINIANUS Brodtforb Wurcensis.

Ad diem 29. Novemb. horis locoq. consuetis

ANNO

M. DC. XXI.



Excudebat Lipsiæ JUSTUS JANSONIUS Danus.

JOJO FABRICE DEO

TESTAMENTARIAE
QUESTIONES

Ab Reuerendo Patre, & ibi notario D. C. qui
testamenta facere poss. vel non.

QUAS

Summa & consilia amplissimi Jurisconsultorum Col.
legit in Academia Lipsien.

SIGISMUNDUS FINKELTHALUS
IUD. & P. publici dissertationi
Lipsie

ET

Respondendo ad
M. CORBINIANUS BUCHNERUS Wittenbergae

Ab anno 17. Aprilis. hinc usque

ANNO

M. DC. XXI



Excudit Lipsiae Justus Jansonius Danus

an
[Decorative initial]
tiu
nen
qui
me
JC
scri
ulti
l.r.
alio
gen
di fa
citi
rien
tius
pri
cep
gin.
nim
ubi
tun
iam





QUÆSTIO PRIMA.

Utrum Testamentum sit origine juris civilis, *Ad Rubr. C. qui test. fac. poss.*
an verò juris gentium?

Distinguiamus inter originem seu formam genericam & individualem, ut illam testamentum habeat ex jure gentium, hanc verò ex jure civili. Testamentum igitur est juris gentium, quoad rudem aliquam rei materiam, quatenus nempe est quævis dispositio ultimæ alicujus voluntatis, quivis testandi modus, quodlibet testandi genus. Testamentum v. est juris civilis, illud nempe individuale, quod Jcti ex jure Romano pro solenni & legitimo juxta præscripta juris Romani confecto accipiunt, ubi non quævis ultima voluntas, sed per formam informata accipitur. *l. i. ff. Qui test. fac. poss.*

Pro jure gentium est ratio (1.) Quia negari non potest, alios quoq; populos, præter Romanos, aliquod testandi genus habuisse. Apud Athenienses *Solon* de libera testandi facultate legem tulisse, & gratiam necessitati atq; amicitiam propinquitati præposuisse legitur. Extat *Cyri* mortis elogium ultimum apud *Xenoph. s. Cyropæd.* *Laërtius Aristotelis* testamentum memorat, in quo puellæ, & prius moreretur quàm nuptui collocata esset, vel deinceps sine liberis, *Nicanorem* substituit. Refert *Isocr. in Aegin.* Græcos in aliis facilè dissentientes, in hoc tamen unanimiter convenire, ut legem testamentis suffragantem ubiq; probent & complectantur, eò quod omnium gentium animis hæc affectio semper fuerit impressa. Alias etiam gentes, puta Arabes, Aethiopes, Lycios, Cantabros

bros &c. recenset *Alexander ab Alex. lib. 6. genial. dier. c. 10.*
(2.) quia hoc ipsa dicit naturalis ratio, ex qua jus gentium
metimur, inhumanum esse, vivos habere licentiam de
rebus suis disponendi, eam vero morientibus denegare.
§. un. Inst. de L. Fus. Can. toll. Eò (3) pertinet autoritas *Cic. lib.*
3. de fin. Ex hac animorum affectione (inquit) testamenta,
commendationesq; morientium natae sunt.

Pro jure autem Civili militant haec rationes. (1.)
Quia Testamentum Romanorum, formam integram
habet à Jure Civil. *§. sed cum paulatim. 3. Instit. de Testam.*
Ord. Ubi jus Testamentorum partim ad Jus Civile, par-
tim ad Jus Prætorium, partim ad Constitutiones Princi-
pum refertur, idq; consistit vel in requisitis solennitati-
bus substantialibus & intrinsicis, puta heredis institu-
tione, quæ forma est intrinseca Testamenti, *§. ante heredis.*
34. J. de Legat. & juris est civ. princ. J. de bon. poss. vers. quos a.
solus. vel in accidentalibus & extrinsecus assumptis, puta
testium rogatione, non minore, quam septenario nu-
mero, & subscriptione eorum, testamenti obfignatione
cum annulo, unico contextu, &c. de quib. in *l. hac consul-*
tissimâ. 8. C. qui test. fac. poss. & passim. Unde & testamenti factio
dicitur esse Juris publici. *l. Test. factio. 3. ff. qui test. fac. poss.* hoc
est, non quidem ratione status reipub. quod testamenti
factio quicquam ad reipub. statum faciat, sed quod jus
testamenti faciendi non in proprio arbitrio, vel privati
autoritate consistat, verum ob autoritatem & formam à
lege præscriptam jure publico ac legibus civilibus testamen-
tariis tribuatur. *l. si queramus. 4. ff. qui test. fac. poss.* (2.) Quia
quicquid solis civibus Romanis accommodari potest,
nec etiam aliis gentibus æquè competit, id est juris me-
rè civilis in jure civili. *l. jus civile. 6. ff. de Just. & jure. §. jus au-*
tem. 1. v. nam quod quisq;. J. de Jur. Nat. gent. & civil. Atqui testa-
menti

menti factio solis civibus Romanis competit, non enim sunt alii homines, qui TALE faciunt testamentum, quale Romani. E. testamentum est juris civilis. *arg. §. ius a. 2. Ibi. qui talem. l. de patr. pot.* (3.) Per textum. *§. fin. l. de usu & hab.* Ubi postquam imperator differuisse se ostendit, quibus modis jure gentium res acquirantur, addit, ordinis esse, ut etiam dispiceret, quibus modis legitimo & civili jure eadem acquirerentur, unde cum statim subjiciat *tit. de usucap. donat. test.* innuere voluit, testamenta esse juri civili accepto ferenda, & proprium de jure civili modum acquirendi in jure nostro proponi.

QUESTIO II.

Quæ sit nominis testamenti notatio & explicatio. *Ad eandem Rubr.*

Illa proponitur ab ipso Imp. *in pr. l. de Test. ord.* ubi ait, testamentum ex eo appellatur, quod sit testatio mentis. Omnino rectè; Ratio (1.) est, quia Jcti magis rem ipsam in nominum notationibus spectare, quàm literas aut syllabas, Grammaticorum more, numerare solent, ut ex verbi notatione non tam intelligatur verbi proprietates, quàm natura rei, unde & nomina rebus congruentia imponere student *§. est & aliud. 3. v. sed nos pleniss. l. de donat.* Sic Ulp. qui venator nominum vocari meruit, *Scip. Gent. lib. 1. Parerg. 3.* novationem à novo nomen accepisse, ait, & à nova obligatione, *l. 1. ff. de Nov.* Sic donatio dicta est à dono, quasi dono datum. *l. senatus. 35. §. donatio. 1. ff. de mort. cau. don.* Sic damnum & damnatio ab ademptione & quasi deminutione patrimonii, dicta sunt. *l. damnum. 3. ff. de dam. inf.* Sic & possessio appellata est à sedibus, quasi positio, quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit. *l. 1. pr. ff. de acq. poss.* (2.) quia quamvis testamentum vocalis

derivationis ratione, simplex nomen ac incompotum
dici possit, à testando tantum deductum, Jctis tamen
non est simplex vocabulum, sed duplici factum origine,
à testatione & mente, testamentum enim de mente & ul-
tima testatoris voluntate testatur, cùm sit major mentis
& voluntatis nostræ ibi significatio, quàm ulla alia inter
vivos facta testatio, in testamentis siquidem mens potif-
simùm dominatur, nec sine mentis ac animi judicio ul-
lum est testamentum. *l. Lucius. 88. §. Lucius. 17 ff. de legat. 2.*
Imò præcipuè ibi spectatur, quâ quisq; mente fuerit, *l. in
eo. 2. ff. Qui test. fac. poss. l. in conditionibus. 19. ff. de condit. & dem. l.
ex facto. 35. §. rerum 3. ff. de hered. inst.* Testatio igitur commu-
niter hîc explicatur pro declaratione mentis, i.e. ultimæ
voluntatis defuncti. Quamvis & testatio accipi possit,
quasi coram testibus adhibitis facta significatio: nam &
alibi testatio nihil aliud est, quàm ad aliquem actum te-
stium facta convocatio. *l. capite. 25. §. si. ibi. testanda rei gratia.
i. e. ut testes inducat. ff. ad L. Jul. de adult. l. non solum. 8. §. 1. ff. de op.
no. nunc.* ubi testatio pro scriptura, quæ fit accitis testibus
ad opus jam factum probandum, capitur, *l. si. v. sed ex quo
ex testatio. C. de neg. gest.* ubi testatio pro ea prohibitione ac-
cipitur, quæ fit convocatis testibus, *l. Lucius. 21. ff. de his
qui not. inf. l. si. ff. pro derel.* Hinc dicitur, testatò aliquem
convenire i. e. testibus accitis, *l. ait Prator. 10. §. si quis 3. ff.
qua in frau. cred. l. qui Romæ. 122. pr. & §. coheredes. 3. ff. de V.
O.* Et testari est testes vocare ad actum ut subscribant &
signent, *l. curent. 22. ff. de test. l. 2. §. post hunc. 47. v. & ut obiter.
ff. de orig. ju.* ubi dicitur, quod Jcti plerunque Judicibus
scribebant aut testabantur, qui illos consulebant, i. e.
consultantes testes super responso Jcti vocabant. Con-
stat vero quod & testamentum omnium maximè testa-
tò fieret, nam & comitiis quasi coram populo primùm
testa-

testamenta condi solita, ut ex §. 1. *J. de test. ord.* colligitur. Et retenta servataq; semper est solennis testium rogatio. *l. heredes. 21. §. in testamentis. 2. ff. qui test. fac. poss. l. hac consultissima. 21. C. de testam.* Secus quàm in cæteris causis, quæ testium interventum desiderant. *l. ad fidem. 11. ff. de testib.*

QUÆSTIO III.

An sub hac notatione Imp. simul etiam definitio rei *in d. pr. l. de testam. ord.* breviter completi voluerit? *N.* *Ad eandem Rubr.*

Ratio (1.) quia Imp. ibi non dicit, defini testam. & esse mentis testationem, sed ex eo appellari: quod notationem meram nominis significat, alia enim est ratio appellandi à ratione definiendi. (2.) quia omnis definitio ut reciproca sit & convertatur cum re necesse est, talis autem hæc non est, non enim si testatio mentis est, statim est testamentum. Sic codicillus sic fideicommissum est testatio mentis, non tamen testamentum.

QUÆSTIO IV.

Quæ sit definitio testamenti?

Ad eandem Rubr.

Eam habet Modest. *in l. 1. ff. Qui test. fac. poss.* Estq; hæc: Testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. Verbum **JUSTA** imprimis in hac definitione varias Interpretum expositiones habet, putà à quibusdam accipitur pro perfecta, pro solenni, pro perfecta & solenni conjunctim, à quibusdam pro solenni & integra, pro vera & omnibus modis absoluta, pro intacta, illabata, ac omnibus modis rata, ab aliis pro justitiæ & naturali æquitati convenienti, pro plena, pro directa, pro absoluto arbitrio & c. **No- bis**

bis placet, quod vox hæc JUSTA accipienda sit pro legiti-
 ma, ut Testamentum sit JUSTA sententia, hoc est, se-
 cundum leges & regulas testamentarias *l. si queramus. 4. ff. d. t. l. tabularum. 2. §. 1. ff. Test. quem aper. l. si. §. 1. ibi. secundum le-
 ges tamen. C. de inoff. testa. tùm juris communis, tùm singu-
 laris d. l. fin. pr. vers. militibus quidem jure suo, veteranis autem
 jure communi. confecta, i. e. sive desideret solennitates, ut
 est testamentum paganorū. §. fin. l. de Codicill. l. 7. 8. 12. 19. 20.
 C. de Testam. l. si frater. 4. C. h. t. sive non desideret, ut sunt
 testamenta privilegiata, puta testamentum militis, pa-
 tris inter liberos, & ad pias causas. Hinc testamentum
 vocatur legitima voluntas. l. omne. 2. v. & nemo moriens. C.
 comm. de legat. Sic nuptiæ dicuntur justæ i. e. secundū præ-
 cepta legum seu legitimæ pr. l. de nupt. justus filius i. e. legi-
 timus l. cuidam. 12. pr. ibi. qui justum filium. & ibi. ex suo legitimo
 filio. C. de natur. lib. justa uxor l. si uxor. 13. §. 1. ff. ad L. l. de adul.
 i. e. legitima l. minorem 4. ff. de rit. nupt. justa i. e. legitima he-
 reditas l. ea verò. 3. §. 2. ff. pro soc. error justus i. e. legitimus
 per eum. 50. ff. de acq. poss.*

Est igitur testamentum justa i. e. legitima sententia.
 Rat. (1.) est, quia ut omnis sententia hominis justa esse de-
 bet, & legibus ac juri consentanea l. de societate. 7. in fin. C.
 pro soc. ita imprimis ea, quæ suprema & ultima futura est,
 debet esse justissima: tùm ratione juris naturalis, ubi con-
 sideratur pietas erga liberos, quia etiam testamentum
 inoffic. cùm contra pietatem peccet, rescinditur, detecto
 eo, quod latebat, vitio. pr. l. de inoff. test. l. quia repudiantis. 17.
 ff. de eo. l. ut liberis. 17. C. de collat. tùm ratione juris civilis, quia
 nemo testamento suo cavere potest, ne leges in eo locū
 habeant. l. nemo. 55. ff. de legat. 1. l. quod bonis. 15. §. 1. ff. ad l. Falc.
 (2) propter intrinsecum requisitū i. e. heredis institutio-
 nem, quæ caput est ac fundamentum totius testamenti

§. ante

*§. ante heredis. 34. l. de legat. non potest enim ullum testa-
mentum valere, quod heredem non habet, l. proximè. 3. ff.
de his que in test. del. (3.) propter extrinsecas solennitates
in l. hac consultiſſima. 21. C. de testam. requisitas.*

QUESTIO V.

Quæ sit testamenti divisio?

*Ad eandem
Rubr.*

Dividi potest Testamentum secundum antiquam,
mediam & novissimam Justinianeam Jurisprudentiam.
Secundum antiquam Jurisprudentiam Testamentorum
duo genera erant, civile & Procinctum §. 1. l. de Test. ord. Ci-
vile fiebat calatis comitiis i. e. coram convocato populo,
sive in concione populi. Romæ enim bis quolibet anno
per præconem curiatim vel cornicinem centuriatim ca-
labantur sive convocabantur. Atq; hæc præsentia po-
puli loco solennium erat *arg. l. 1. §. 2. C. de his qui in Eccl. ma-
numitt. ut hodie coram principe vel apud acta. l. omnium.
19. C. de testam.* Condebantq; hoc testamentum olim Ro-
mani domi & in otio viventes, sive tempore pacis. Pro-
cinctum fiebat à militibus armis accinctis & in prælium
exituris, præsentibus commilitonibus, coram quibus vo-
luntatem suam nuncupabant. Secundum mediam Ju-
risprudentiam ab initio tria fuerunt genera, prædicta scilicet
duo, quibus accessit id quod fiebat per æs & libram *d. §. 1.
l. de Testam. ord.* Sæpè enim accidebat, ut tempus calato-
rum comitorum non extaret, bellaq; non essent, non-
nulli tamen subitaneo morbo correpti morerentur in-
testati, ideo supervenit tertium per æs & libram, i. e. sta-
teram, adhibitâ mancipatione, i. e. imaginaria venditio-
ne, quinque testibus & libripende, i. e. librarum auri ar-
genti ærisq; ponderatore, Veteres namq; pecuniam non
B nume.

numerare sed ponderare solebant, civibus Romanis pu-
beribus presentibus, & eo qui familiae, i.e. universitatis
bonorum emptor dicebatur. Sed cum emancipatio tol-
leretur *l. quoniam. 15. C. de testam.* extitit & quartum Præto-
rium, quo ultra quinque testes, adhuc duo alii loco ponde-
ratoris & familiae emptoris, & sic septem requirebantur,
qui testamentum scriptum obfirmarent. §. *sed prædicta. 2.*
l. de Test. ord. Tandem hæc genera omnia exoleverunt, ni-
si quod solennitatum vestigia remanserint, & jus civile
& prætorium in unam consonantiam jungi cœpit, addi-
tis nonnullis ex Principum constitutionibus §. *sed cum*
paulatim. 3. l. d. t. Novissimo igitur hoc jure quintum su-
peradditum est. Commodè verò secundum hanc Juris-
prudentiam Justinianeam novissimam sic dividi potest
testamentum, ut hodie aliud sit publicum, quod scilicet
publica fit fide, idque vel principi in confesso offertur, vel
apud acta reponitur & insinuatur. *l. omnium. 19. C. de Testam.*
vel privatum, quod privata fide atque auctoritate nititur.
Privatum rursus vel solenne est, quod nimirum constat
communibus solennitatibus requisitis omnibus *l. hac*
consultissima. 21. C. de testam. vel minus solenne, quod iis
astrictum non est, aut in quibus rigidior illa solennitas
remissa est. Et quidem vel ob periculorum functionem,
ut in militibus. *l. quanquam. 3. l. miles. 15. C. de milit. test.* vel ob
imperitiam & necessitatem, ut in rusticis. *l. fin. C. de testam.*
vel ob singularem favorem & affectum, ut in parentibus
inter liberos restantibus *l. si. C. fam. ercisc. d. l. hac consultissi-*
ma. 21. §. ex imperfecto. & authent. quod sine, vel in testamentis
ad pias causas. arg. cap. cum esses. 10. extr. de testam. c. relatum.
11. extr. eod.

Utrumque vel scriptum est vel nuncupativum. Scri-
ptum dicitur, quia in scriptis conficitur, & in solennita-
ribus

tibus scripturæ, subscriptione testium & sigillorum ap-
pensione consistit *l. fin. § 3. C. de Codicill.* Nuncupativum
verò vocatur, quia viva voce & declaratione ultimæ vo-
luntatis coram testibus sine scriptura absolvitur *d. l. hac*
consultiss. 21. pr. & §. per nuncupationem. 2. C. de testam. § si. l. eod.
l. patris. 20. §. 1. ff. de vulga. & pup. subst. Quod quamvis post-
ea probationis causa in scripturam redigatur, nihilomi-
nus tamen est & manet nuncupativum. *arg. l. contrahitur.*
** ff. de pign.*

QUESTIO VI.

An *αὐτοχθεία* sit licita ?

*Ad L. si is
qui te. 2.*

Ex jure civili sic distinguimus: Aut quis interficit
se, ut mori magis quàm damnari malit ob conscientiam
criminis & pœnam imminentem: aut ut potissimum
majus malū evitet. Priori casu *αὐτοχθεία* permessa non est.
Text. in l. nos. 2. vers. quod si futura pœna metu. l. qui rei. 3. in pr. ff.
de bon. eo. qui ante sent. l. 1. pr. l. 2. ibi, nec ob metum criminis. C. h. t.
l. si quis. 6. §. ejus qui. 7. v. nam eorum qui mori. ff. de ini. rupt. l. 1. §.
si quis non metu. 23. ff. de S. Conf. Sill. l. 2. C. ubi caus. fisc. l. libero-
rum. 11. §. non solent. 3. ibi, sed mala conscientia. ff. de his qui not. inf.
Ideoq; nec *αὐτοχθεία* heredem habet, sed bona ejus fisco
inferuntur. *juxt. d. l. qui rei. 3. ff. de bon. eor. qui ante sentent.*
Posteriori verò casu licita est *αὐτοχθεία*, puta, si quis in-
terficiat se (1.) tædio vitæ *d. l. 3. §. si quis autem. 4. ff. de bon. eo-*
rum. d. l. 6. §. 7. v. quod si quis tædio. ff. de inj. rupt. d. l. 11. §. 3. ibi, non
tædio vitæ. ff. de his qui not. inf. (2.) valetudinis adversæ im-
patientia *d. l. 3. §. 4. ibi, vel impatientia. d. l. 6. §. 7. v. quod si quis.*
ibi, vel valetudinis. d. l. 1. §. 23. ff. de S. C. Sill. l. in fraudem. 45. §. ejus
bona. 2. ff. de ju. fisci. (3.) dolore corporis. *l. bovem. 43. §. mortis.*
4. ff. de adilit. ead. l. ejus militis. 34. ff. de test. milit. (4.) pudore
cris alieni d. l. 45. §. 2. ff. de ju. fis. l. omne. 6. §. qui se. 7. ff. de re milit.

B 2

(5.) ludu

(5.) luctu *l. si quis. 38. §. fin. ff. de pæn.* (6.) vel ex alia causa *d. l. 3. §. 4. ibi: vel alio modo. ff. de bon. eor. d. l. 38. §. fin. ibi, vel alia causa. ff. de pæn.* puta jactatione *d. l. 6. §. 7. v. quod si quis. ibi, vel jactatione, ut quidam Philosophi. ff. de inj. rupt. irr.* Ad hunc posteriorem casum referri etiam potest *l. sed §. 9. §. si ipse servus. 7. ff. de pecul.* ubi dicitur, quod etiam servis liceat naturaliter in corpus suum scævire. Quamvis enim jure civili differentia sit inter liberas personas & servos, quoad jus naturale tamen non differunt, quo omnes homines sunt æquales. *l. 4. ff. de just. & ju. l. quod attinet. 32. de R. J.* Sensus igitur *d. l. 9. §. 7.* est: non tantum liberis hominibus seu dominis, sed etiam servis licet in corpus suum scævire. Prædictis itaq; casibus omnibus *αὐτόχρη* heredem habet vel ex testamento vel ab intestato *d. l. 3. §. 4. ff. de bon. eor. l. 1. C. d. t. d. l. 34. ff. de testa. mil. l. 1. §. 23. ff. de SC. Sill. h. l. n. 2. in princ.* Ratio diversitatis inter hosce casus est, quia priori *αὐτόχρη* se interficit propter nequitiam, malos mores, flagitiumvé aliquod admissum, posteriori verò saltem se liberandi causa à majori malo, dolorem corporis non sustinendo *l. bovem. 43. §. mortis. 4. ff. de adil. edict.* Ideò ibi *αὐτόχρη* licita est, híc prohibita. Atq; hæc opinio olim primum fuit Stoicorum, qui cum qui rædium aliquod vitæ habebat, sibi mortem non tantum posse *Lips. Cent. 2. ep. 22.* sed & debere consciscere arbitrabantur: Ita enim *Seneca epist. 69.* Exerce te, inquit, ut mortem & excipias, & si ita res suadebit, accersas, interest nihil, an illa ad nos veniat, an ad illam nos. Horum Stoicorum doctrinam in hac re secuti sunt absq; dubio *J. Cui,* in scholis ipsorum quandoq; educati. *arg. l. 2. §. ab his. 40. ibi, Tubero ille Stoicus. ff. de Orig. Jur. Unde & Martianus J. C. tus summam Stoicam sapientiam vocat in l. 2. ff. de leg.*

Nobis Christianis in hac re aliter statuendum est,
nempe

nempè αὐτοχθείαν neq; olim à Jctis rectè permissam fuis-
se, neq; hodie permitti debere. Ratio (1.) est, quia pugnat
cum lege naturæ, quæ vult, ut ordinaria charitas inci-
piat à seipsa, & ut omne animal sui ipsius conservatio-
nem intendat, mortem verò perniciemq; devitet: Quod
αὐτοχθείες non faciunt, qui amicabilem animæ & corporis
unionem contra naturam dissolvunt & corrumpunt.
(2.) pugnat cum lege divina. *Exod. 20. vers. 13. non occides.*
Hoc verò præceptum simpliciter & generaliter conce-
ptum est à Deo Opt. Max. ne scilicet te neq; alium occi-
das, ut & Apost. Paulus affirmat *ad Ephes. v. 29. neminem*
carnem suam odisse, sed eam potius fovere: nemo enim
nostrum sibi vivit neq; sibi moritur. Rom. 14. v. 7. 8. Unde
verissimè August. alicubi, Non recipit Deus animas, in-
quit, qui invito Domino è corporibus exierunt. (3.) pu-
gnat cum præceptis Ethicis. Violat enim fortitudinis
officium: Viri siquidem fortis est subire pericula eaq; le-
gitima & decentia, quæ αὐτοχθείες non subeunt sed fugi-
unt. Unde Aristot. & Eurip. eos non fortes, sed ignavos,
parviq; & abjecti animi habendos pronunciant. *Muret.*
var. lect. lib. 4. cap. 2. Et Martialis extat Epigramma in hanc
sententiam:

Rebus in adversis facile est contemnere vitam,
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

(4.) pugnat cum præceptis Politicis, quia αὐτοχθείες Remp.
aliquo cive privata ac spoliat. (5.) pugnat cum saniore
juris civilis ratione, quæ est, quod omne homicidium
voluntarium sit punibile. *l. 1. §. & qui hominem. 2. ff. ad l. Corn.*
de sicar. nisi fiat defensionis causa l. 3. ibi, quia defensor. C. d. t.
defensio autem nunquam fit nisi contra offendentem
d. l. 3. ibi, percussorem ad se venientem. At vero hic nullus est
offensor qui occiditur, neq; enim quis seipsum ita offen-
dit,

dit, ut seipsum defensionis gratia occidere cogatur.
(6.) pugnat cum juris Canonici dispositione, quâ se-
ipsum occidens pro vero homicida habetur. *Cano. si non
licet. 9. causa. 23. q. 5.* Unde & sepultura non humana, ne-
dum Ecclesiastica, sed canina vel asinina Jure Canonico
afficitur. *Can. placuit. 12. causa. 23. q. 5.*

De consuetudine, si quis seipsum occidat (1.) con-
scientiâ facinoris & metu pœnæ, cadaver ejus vel discin-
ditur vel suspenditur, vel sub patibulo sepelitur, *Heigius.
p. 2. quest. 36. n. 32. Coler. par. 1. decisio. 107. n. 38. & p. 2. decisio. 267.*
bona quoq; publicantur, si modò ipsum crimen per se
amissionem bonorum secum afferat. *Consti. Carol. V. Crim.
arti. 135. Heig. d. l. n. 33.* (2.) si quis se interficiat rædio vitæ,
pudore æris alieni, nimîa avaritiâ (uti videre licet in qui-
busdam rusticis, qui ob vilius pretium frumenti sæpè
se suspendunt) tunc quidem bona ejus non publican-
tur, sed cadaver sepultura honesta privatur, nec per o-
stium effertur, sed subter limina domus extrahitur, pro-
pterea quod indignum sit ob propriam vitæ extinctio-
nem, hunc eodem ostio & limine efferri, per quod prius
vivens valensq; exierat. *Dambud. in prax. Crim. cap. 90. n. 8. 9.*
In his verò terris ex fenestra per carnificem dejicitur, &
postea in locum infamen cadaveribus bestiarum desti-
natum tanquam canis foràs projicitur. *Heig. d. l. num. 64.*
(3.) si ex furore, melancholia, vel alia animi impotentia
sibi mortem inferat, aut aliàs si de causa non constat,
tum si vitæ antea benè & piè transactæ bonum habeat
testimonium, cadaver illius non est honestâ sepulturâ
privandum. *Heig. d. l. n. 74.*

QUESTIO VII.

Utrum Notario asserenti testatorem fuisse sa-
næ mentis, fides habenda sit? Aff.

Ratio

Ad l. Seni-
um. 3.

Ratio est, quia hæc ipsius asseveratio cum præsumptione juris concurrat, quæ est, ut quilibet sanus mente præsumatur, nisi contrarium probetur. *l. ne Codicillos. s. C. de Codicill.*

QUÆSTIO VIII.

An filiusfam. si bona adventitia sub hac conditione accepit, ut eorum ususfr. non ad patrem sed ad filium spectaret, de his testari possit? N.

Ad § filium autem. 1. d. l. 3. Et ad l. nemo. 11.

Ratio (1.) est, quia filiusfam. de iis bonis testari potest, in quibus pro patrefam. habetur. *princ. l. Quib. non est perm. facere testam. v. præter hos.* Sed in adventitiis bonis, etiamsi patri ususfr. non quærat, non tamen habetur pro filiofam. nusquam enim hoc asseritur in iure. E. (2.) quia in *l. nemo. 11. C. b. t.* filiisfam. in certis casibus, testamenti factio conceditur, puta de castrensi peculio, *pr. ibi. Et si filiisfam. sint propter militiam. l. de mil. test.* Et peculio quasi castrensi *§. sciendum. fin. l. d. t. l. fin. C. de inoff. Test.* E. de cæteris indistincta est prohibitio, præsertim quia nullibi in bonis adventitiis hoc jus testandi legitur filiisfam. concessum. Quocirca sub antiquis manet regulis, quæ filiisfam. ne patre quidem permittente testamenti factionem permittunt. *l. qui in potestate. 6. ff. b. t.* (3.) Quia cessat in bonis adventitiis ratio, quæ in castrensibus & quasi castrensibus obtinet, nimirum favor literarum & militiæ. Talis enim publica causa in adventitiis nec fingi nec ostendi potest. (4.) Quia quod de adventitiis bonis filiusf. testari non possit, non ea causa est, quod eorum ususfr. ad patrem pertineat, sed quod jus testandi tribuatur jure publico, *l. testamenti. 3. ff. b. t.* Et ex *ll. 12. tab.* ubi habetur; paterf. uti super familia, pecuniaq; suâ legasset, ita jus esto. Cum igitur de filiof. hoc non dicatur, sequitur, quod patribusf. regulariter jus testandi sit concessum.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

Ad l. si fra-
ter. 4.

An minor possit testamentum condere? Aff.

Text. in l. si frater. 4. ibi, nam si hanc ætatem i. e. annum. 14. egressus. C. h. t. l. Aurelio. 20. §. 1. ibi, intra legitimam ætatem constitutus. ff. de liberatio. lega. l. si plures. 3. §. Quamvis. 3. ibi, ut puta si pater minus penso consilio hoc test. fecit, fortè minor. 25. annis. ff. de administr. tut. l. à qua ætate. 5. ff. h. t. l. 12. v. quod si cum de ætate. C. quando provocare non est necesse. Ratio (1.) est, favor ipsarum ultimarum voluntatum, & licitum quod iterum non redit, arbitrium l. 1. C. de S. S. Eccl. Itemq; (2.) ipsius minoris favor, nec enim periculum est, ne decipiatur, cum possit testamentum revocare quando libet. Arg. l. si quis. 22. ff. de Leg. 3. l. quod si iterum. 4. ff. de adim. leg. §. posteriore. 2. l. quib. modis test. infirm.

QUÆSTIO X.

Ad l. 4.

Quinam sit intellectus horum verborum in l. si frater. 4. licet vigoris nondum emerissent vestigia?

Ad quidam verba hæc intelligunt de fatuis & stupidis, quod hi testari possint, quamvis ætatis maturitas possit illorum iudicium illustrare. Nonnulli hunc tradunt sensum; Minor potest testari, quamvis virilis ætatis vigor nondum iudicium ejus confirmarit. Arg. l. si plures. 3. §. quamvis 3. ibi, minus penso consilio, fortè minor. 25. annis. ff. de administratio. tutor. Alii deniq; & fortè ex antiquitatibus rectius hæc verba de obscœna corporis inspectione accipiunt, quam abrogavit Imperator Justinianus in l. fin. 3. C. quando tut. vel curat. esse des. olim igitur ex illâ inspectione iudicabatur masculus pubes, fœmina autem viripotens, & tunc putabatur testamentum condi posse, eandem verò Impp. hic censent admittendam non esse. Vigoris.

goris igitur vestigium alibi videtur appellari *Habitus*, *pr. l. quib. mod. tut. fin.* Habitus autem corporis ibi indagatio-
nem illam corporis & inspectionem denotat, *ex d. l. fin. C. quando tutor.* Inde *Quint. ait Decl. 279.* postea nudari fi-
lium, atque in conspectu iudicis constitui cogit. Existi-
mant quidem (ut hoc incidenter notemus) *Revar. lib. 4. var. 10. & Lyclama lib. 7. Eclog. 15. § 3.* per inspectionem ha-
bitudinis corporis non intelligi, quod ipsi iudices olim
inspicerent pubem, sed denotari dispositionem hominis
& figuram, quasi ex ejus aspectu deprehendatur, an quis
generare possit, nec ne, unde citant illud *Chereæ* apud
Terent. Corpus solidum & succi plenum facile indicat
puellam esse habilem ad usum conjugii. *Et l. minor. 32. ff. de
min.* Vel per inspectionem habitudinis corporis acci-
piunt examinationem & indagationem corporis, quam
iudex olim facere solebat, audiendo testimonia eorum,
qui de habitu & constitutione corporis, quam in balneis
aut alibi videre contigisset, testari possent. Sed hæc
non probamus, propter *d. l. fin. C. quando tut.* Ubi illa in-
spectio vocatur *in princ. indecora & in fine inhonesta*; Et
propter locum *Quintiliani* supra allegatum. Fiebat igi-
tur inspectio olim corporis totius, non solius faciei &
ejus constitutionis.

QUESTIO XI.

An in codicillis à cæco factis, eadem solen-
nitates sint necessariae, quæ in testamentis?

A ff. Sed ita, ut sit comparatio proportionata. Quem-
admodum enim se habet testamentum simpliciter con-
sideratum ad codicillos; ita se habere debet testamen-
tum cæci ad codicillos cæci; adeoq; ut cæcus testator, si
vult testari, cogitur ultra communem 7. testium nume-
rum

Ad l. hæc
consultissi-
ma. 8. v. que
in eundem
modum erunt
observan-
da.

C

rum

rum, adhuc unum §. e. octavum adhibere, & in hoc est speciale: Sic etiam in codicillis ultra communem numerum quinque testium, cogitur cæcus habere Notarium, vel pro Notario sextum testem, ut sic ex proportione ne res hæc iudicetur. Atq; hunc sensum esse putamus. *d. versic. quæ in eundem modum erunt observanda &c.*

QUESTIO XII.

*Ad d. l. hæc
consultissimâ
§. 8.*

Utrum in testamento cæci necessarium sit, ut institutio heredis ordine scripturæ præcedat legata, sic ut prius scribatur heres, postea demum legata relinquuntur, adeoq; non valeat testamentum cæci, si prius in eo scripta & relicta sint legata, postea verò heres instituatur, sed ex formâ præscriptâ, in *l. hæc consultissimâ §. 8.* sit vitiosum?

Distinguiamus inter jus vetus & novum. Jure veteri, puta in *d. l. hæc consult. §. 8.* hic ordo formæ loco præscriptus fuit; *ibi circa finem: ut antelata formæ declarant.* Ut scilicet præmittatur heredis institutio, sequantur legata. Ratio fuit, quia putabatur heredis institutio ideò præmittenda, quod sit caput & fundamentum testamenti. *§. ante heredis. 34. ibi; quia testamentum vim. J. de Legatis. eodq; spectant verba d. l. §. 8. ibi. quibus omnibus ex ordine peroratis: Et in fin. ibi: in prædictum modum ordinantibus.* Atq; hæc subtilitas ordinis ab auctore *d. l. §. Justiniano* fuit intellecta, cujus ætate hæc ordo in omnibus testamentis erat necessarius *d. §. ante. 34. ibi: inutiliter antea legabatur.* Sed Justiniani filius Justinianus noster *§. est & aliud. 3. vers. sed primus quidē. l. de Donat. §. cæcus. 4. l. quib. non est permiss. facere testam.* ordinem illum mutavit, hancq; subtilitatem ut otiosam rejecit, & novo jure consti-

constituit, eam non esse necessariam. *d. §. ante. 34. ibi; sed*
quia incivile esse. Quare hæc *l. n. 8.* interpretanda est ex jure
novo, scil. posteriore lege Justiniani. *l. ambiguitates. 24. C.*
de Test. d. §. ante. 34. l. de Legatis. Ratio exprimitur in *d. §. 34.*
Quia incivile est scripturæ ordinem sequi, sperni autem
testatoris voluntatem, i. e. in testamentis plenius & be-
nignius voluntates testantium interpretandæ. *l. in testam.*
12. de R. J. Ideo & benignius est, ut voluntas potius testa-
toris, quàm scripturæ ordo spectetur, ut sive post, sive
ante heredis institutionem legata sint relicta, nihilomi-
nus valeant.

QUESTIO XIII.

An pater cæcus inter liberos testamentum *Ad d. l. hæc*
condens, necesse habeat solennia *d. l. hæc consult. 8.* *consult. si-*
observare? Neg. *ma. 8.*

Eo enim casu duos testes sufficere arbitramur, ita ut
non requiratur aliqua alia forma, vel solennitas à jure ci-
vili introducta. Ratio est, quia solennitates in *d. l. hæc*
conf. 8. potissimum introductæ sunt ob suspensionem falsi-
tatis. At in liberis cessat falsitatis suspicio, cum ipsi alio-
quin parenti suo ab intestato sint successuri, naturâ duce.
l. scripto. 7. in fin. ff. unde liberi. Et favor liberorum militat
eodem modo in filiis cæci, quo in filiis videntis. Distin-
guit Sichardus non adeo improbabiler ad *d. l. 8. n. 12. in*
fin. v. tamen puto. An magna sit inter liberos in causâ in-
stitutionis inæqualitas, an minus; Si enim cæcus pater
inter liberos valdè inæqualiter disponderet, quia tùm sub-
est magna falsitatis suspicio; ideo putat Sichardus illud
testamentum everti posse, si non habeat omnes solen-
nitates. *d. l. 8.*

QUÆSTIO XIV.

Ad L. furio-
sum. 9.

An testamentum à furioso factum præsumatur tempore dilucidi intervalli conditum esse?

Distinguunt quidam hoc modo: Aut testamentum ita scriptum est, ut homini prudenti & sanæ mentis convenit, & præsumi debet in ipsâ intermissione furoris illud factum esse; sin verò dispositio dementiam sapiat, præsumi debet, in ipso furore esse confectum. Alii sic distinguunt, aut constat de furoris intermissione, dubitatur verò an illud testam. in istâ intermissione factum sit, & testamentum sustineri potest. Si verò de furoris intermissione non constat, tum periculosum videtur ex prudenti aliquâ dispositione mentis integritatem præsumere, sed animadvertendum, an is, qui testamentum fecit, habuerit testamenti factionem & an secundum regulas J. Civ. sit testatus. *l. si queramus. 4. ff. qui test. fac. poss.* Atq; hæc posterior distinctio fortè sustineri potest. Non tamen errabimus, si totum hoc negotium arbitrio judicis, ut in plerisq; dubiis casibus relinquamus. *arg. l. mora. 32. in fin. princ. ff. de Usuris.* Cognitio enim furoris, & tota hæc testamentariæ dispositionis inspectio & definitio magis facti est, quàm juris *l. observare. 6. ff. de curat. fur. arg. l. quod meo. 18. §. 1. ff. de acq. poss.*

QUÆSTIO XV.

Ad d. L. 9.

An fatuus possit condere testamentum?

Nos fatuum hoc loco non accipimus eum, qui non valdè sapiens sit. *l. ob quæ vitia. 4. §. Idem Pomponius. 3. ff. de edil. edic.* Neq; eum, qui fatuus nonnunquam vulgò appellatur, quod fatuum quid egerit; sed in quo non est mentis integritas, in quo nullus usus est, ut ait Ulpianus *in d. l. 3. §. 4. v. 10.*

§. 4. v. tamen si ita fatuum. Cui & in jure non ob corporis imbecillitatem, sed ob hanc mentis debilitatem curator datur. *l. 2. ff. de postulando. l. dabimus. 19. §. 1. in fin. junctâ l. vel fatuo. 21. ff. de reb. aut jud. poss.* Cum igitur in fatuo mentis integritas non sit, quæ ad testamenti factionem requiritur, ideo nec fatuus testamentum condere potest. Quocirca errare videntur interpr. in hâc *l. furiosum. 9.* qui in hâc testamentariâ materiâ fatuum eum vocant, qui tardâ mente, & hebeti ingenio, aut uti loquuntur grosso aut simplici intellectu præditus sit. Ratio est, quia qui minus penso consilio testatur, ejus testamentum valet. *arg. l. si plures. 3. §. quamvis 3. ibi; minus penso consilio. ff. de admin. & per. tut.* Distinguit in hâc quæstione *Tessaurus decis. 92. n. 4. v. ego in contingentiâ facti.* Inter fatuum qui plus judicii non habet, quàm puer decem, vel undecim annorum & ei non licet, inquit, testari, sicut nec licet puero ex eo, quod non habeat animi judicium, *§. præterea. l. quibus non est perm. facere testa.* & inter fatuum, cui plus est judicii, quàm puero 14. annorum & hunc censet esse ad testamenti factionem admittendum. Sanè & hîc fatuitatis illius tota discretio judicis arbitrio relinquenda videtur.

QUÆSTIO XVI.

An mutus & surdus simul ita natus testamentum ad pias causas condere possit? Neg. *Ad l. discretis. 10.*

Ratio (1.) quia mutus & surdus simul natus non potest libertatem imponere *l. discretis. 10. in pr. ibi. nec libertatem. C. b. t.* Sed libertates piis causis annumerantur. *l. 1. §. fina. 6. ibi. ad hanc rationem pietatis. C. de comm. serv. manum. E.* (2.) Quia in testamento ad pias causas etiam judicio, ut in aliis testam. opus est, eo verò hic surdus & mutus caret. E. non debet testandi jus favore piæ causæ extendi amplius, quàm legis ratio permittit.

C 3

QUÆ-

QUESTIO XVII.

Ad d. L. 10.

An surdus mutus ita natus codicillos, fideicommissa, & mortis causâ donationes facere possit? N.

Ratio est, quia codicillos is demum facere potest, qui testamentum, *l. divi. 6. §. codicillos. 3. l. conficiuntur. 8. §. 2. ff. de jure codicill.* Item is legare & fideicommittere non potest, qui testari nequit. *l. 2. ff. de Leg. 1.* Desideratur enim & hîc iudicium. *Arg. l. cum prætor. 12. §. non a. 2. Ibi: quia iudicio carent. ff. de iudiciis.* desunt & actiones animi atq; operationes intellectus.

QUESTIO XVIII.

Ad d. L. 10.

An miles surdus mutus natus testamentum condere possit? Neg.

Frustranea hæc videtur Dd. quæstio. Ratio est, quia talis nec miles intelligi potest: Non enim militare valet, qui à naturâ duobus potissimis sensibus caret, nec examinari, nec sacramentum solenne præstare, nec ducis imperium audire, nec tubæ vel etasfici signum intelligere, nec arma petere potest. Si autem militare nequit, Etiam ob militiæ honorem ei nihil tribui potest. *facit. l. planè. 1. l. de mil. test.* ubi Imp. Trajanus ita privilegium testandi concedit militi, si prius de eius voluntate constet, at nec talis miles, si modo miles esse potest, alteri voluntatem suam significare potest. *Diss. Hunn. var. res. lib. 2. tract. 5. §. 9.*

QUESTIO XIX.

Ad L. omnes
12. fin.

An testamentum de quasi castrensi peculio confectum hodiè jure Novellarum subjaceat inofficiosi testamenti querelæ? Aff.

In

In *l. omnes. 12. fin. C. h. t.* filius. quidem testamentum de quasi castrensibus conditum, querelæ inofficiosi non subiacet. Quod & habetur in *l. cum antiquis 37. fin. C. de inoff. test. §. sciendum 6. fin. l. de mil. test.* Sed an hæc jura per recentiores Novellas correctæ sint, disquiritur hîc ab Interpretatione. Rationes autem pro affirmat. sunt: (1.) text. in *Novell. 115. cap. 4. in pr. ibi. à rebus propriis in quib. habent testandi licentiam.* (2.) text. in *Novell. 123. cap. 19.* ubi dicitur, liberos ex quasi peculio castrensi, si ipsi filios non habeant, parentibus legitimam relinquere debere.

QUÆSTIO XX.

An testamentum militare de bonis castrensibus *Ad d. l. fin.* factum, novo jure inofficiosi querelæ subiaceat?

Neg.

Ratio (1.) quia *d. Nov. 115. cap. 4.* nullum verbum habet de militari testamento. Veteres autem ll. ut sunt hoc casu *l. de inoffioso. 9. l. testam. 24. C. de inoff. test.* nunquam ex Novellis corriguntur, nisi id ipsum vel in præfatione ab Imper. exprimat, vel in conclusione, arg. *Novell. 1. cap. 4. §. 2. ibi. in omni personâ sive privatâ sive militari.* (2.) quia *d. Novell. 115.* loquitur de præteritione & exheredatione paterna. Et referenda est ad eas leges priores, quæ de exheredatione & præteritione sunt latæ, ac quibus definitum est, non licere parentibus liberos suos præterire: At hæc leges ad paganos pertinent, non ad milites. *l. sicut. 9. l. si cum. 10. C. de testam. milit. §. sed si 6. l. de exhered. liber.* Quicquid igitur in *d. Novell.* dicitur, intelligitur cum exceptione, nisi sit miles. Quod enim simpliciter lege nova non est expressum, id veterum legum constitutionumq; regulis relictum intelligitur. *l. precipimus. 32. §. fina.*

C. de appell.

F I N I S.

dei
pos.
test,
p. 9. 2.
pot.
m &
judicio
ratio.

um

quia
aler,
exa-
ucis
lige-
it, E.
it. 9.
n te-
stet,
lun-
rat.

lio
not-

In

In a...
de qua...
lupac...
no...
re...
H...
o...
f...
p...

An...
f...
N...

R...
do...
f...
o...
re...
f...
f...
f...
f...
f...
f...
f...
f...
f...



Willemsen 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

01 A 6518

ULB Halle 3
 002 937 514



VD 17

Reise ✓

e-o



Handwritten Latin text in a Gothic script, arranged in a column. The text is densely packed and appears to be a liturgical or scholarly passage. A large, decorative initial 'D' in blue and red is visible on the right side of the page, marking the beginning of a section. The text is written on aged, yellowed parchment.

Handwritten marginal notes in Gothic script, located on the left side of the page. The notes are smaller than the main text and appear to be commentary or corrections.


Handwritten marginal notes in Gothic script, located at the bottom left of the page. The notes are smaller than the main text and appear to be commentary or corrections.

Handwritten marginal notes in Gothic script, located on the right side of the page, near the top.

Handwritten marginal notes in Gothic script, located on the right side of the page, in the middle.

Handwritten number '1533' in Gothic script, located on the right side of the page, in the middle.





^{XXV.}
SOLO FAVENTE DEO

TESTAMENTARIÆ QVÆSTIONES,

*Ad Rubricam, Leges, & ibi notata Dd. C. qui
testamenta facere poss. vel non.*

QUAS

Permissu & consensu amplissimi Jureconsultorum Col-
legii in Academiâ Lipsiensi,

SIGISMUNDUS FINCKELTHAUS,
I.U.D. & P. P. publicæ disquisitioni
subjicit,

ET

Respondendo defendet
M. CORBINIANUS Brodtkorb Wurcensis,

Ad diem 29. Novemb. horis locoq; consuetis

ANNO

M. DC. XXI.



Excudebat Lipsiæ JUSTUS JANSONIUS Danus.

